MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80479-15

MICROFILMED 1992

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States -- Title 17, United States Code -- concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material...

Columbia University Library reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

GLASER, ADELBERT

TITLE:

QUAESTIONUM SOPHOCLEARUM

PLACE:

WETZLAR

DATE:

1881

Master Negative #
92-80479-15

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

88SE
Z8 Glaser, Adelbert,
v.3 ...Quaestionum Sophocl earum particula altera, von Dr.Adelbert Glaser... Wetzlar, druck von Ferd. Schmitzler, 1881.
17 p. 25½ cm.

At head of title: Programm des Königlichen Gymnasiums zu Wetzlar...

127809

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 03.12.1992 INITIALS Emiliar
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT



Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202









MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.



Z 8
V. 3

PROGRAMM

DES

KÖNIGLICHEN GYMNASIUMS

ZU

WETZLAR

FÜR

DAS SCHULJAHR VON OSTERN 1880 BIS OSTERN 1881

MIT WELCHEM ZU DEN ÖFFENTLICHEN PRÜFUNGEN AM 4. UND 5. APRIL
IM NAMEN DER ANSTALT ERGEBENST EINLADET

CARL AUGUST PERTZ
DIRECTOR.

Inhalt: 1. Quaestionum Sophoclearum particula altera, von Dr. Adelbert Glaser.
2. Zur Behandlung der Lichtbrechung im Gymnasialunterricht, von Dr. Friedrich Fehrs.
3. Schulnachrichten, vom Director.

WETZLAR 1881.
DRUCK VON FERD. SCHNITZLER.

1881. Progr.-Nr. 402.

Quaestionum Sophoclearum particula altera.

Nuper cum de secundo Oedipi Colonei stasimo emendando et interpretando commentarer [1]), in quattuor prioribus versibus strophae secundae (v. 1074—1078. Dind. Oxon. III, 1860) accuratius examinandis me continueram, quattuor autem posteriores versus eius, de quorum interpretatione et emendatione multo maior etiam quam de prioribus dissensio interpretes textus Sophoclei usque exercet, in aliud tempus tractandos seposueram.

Ordiatur autem praesens disquisitio ipsa quoque, ut superior, a scriptura, qua antiquissimus et optimus liber manuscriptus, Laurentianus A, eos versus atque a prima quidem manu descriptas exhibet; eorum in illo haec est species:

μάντις εἰμ' ἐσθλῶν ἀγώνων
εἴθ' ἀελλαία ταχύρρωστος πελειὰς
αἰθερίας νεφέλας κύρσαιμ' αὐτῶν δ' ἀγώνων
θεωρήσασα τοὐμὸν ὄμμα

Ac de primo quidem et secundo horum versuum nihil est, quod disceptemus; duo contra reliqui mendis multis ac gravibus laborant, quae quem ad modum ex codicis Laurentiani scriptura aut iam sublata sint, aut tolli posse mihi videantur, copiosius exponendum est.

Nullae veterum interpretum adnotationes rectam corruptorum verborum cognitionem nobis sublevant; at Sophoclis ea verba genuina esse non posse facile intellegit, quicunque Graecae linguae leges et grammaticorum praecepta didicit. Atqui ubi gravissimae corruptelae lateant, adhuc viri docti parum perspexisse mihi videntur, quotquot in expediendis huius loci difficultatibus iam elaboraverunt. Etenim alteri studia sua ad ea verba emendanda applicaverunt, in quibus corruptela neutiquam inest, alteri retinenda censuerunt, quae ferri nullo pacto possunt, nec desunt denique, qui rectam viam ingressi substiterint, antequam omnem difficultatem ex Laurentiani codicis scriptura tollere eis contigit. Ex illis autem versibus, quorum species supra proposita est, cum quattuor dumtaxat priora verba in disceptationem vocare omnibus videretur supervacaneum, ex octo reliquis vocabulis ne unum quidem superfuit, quin tanquam molesta labe ac corruptela liberandum ab aliis alia ratione temptaretur atque adeo unum alterumve vexaretur.

---

[1]) Progr. gymn. Wetzlar. H. 1870.

Singula autem interpretandi et emendandi conamina ut in brevi conspectu posita praemittam, primum quidem Doederlinium [2]) commemoro, qui genetivum *αἰθερίας νεφέλας* cum nomine substantivo *πελειάς* iungit collato Antigonae v. 114:

λευκῆς χιόνος πτέρυγι στεγανός. »albae nivis ala tectus.« Quod enunciatum Godofredus Hermannus [3]), quem Doederlinius conferri iubet, recte idem esse docet ac si *χιονέᾳ πτέρυγι* »nivea ala« dixisset Sophocles. Ea enim et illius ratio est et aliorum [4]), ut genetivus sit pro adiectivo. Quam sententiam de enunciato: *πελειὰς αἰθερίας νεφέλας* Doederlinius ut sequendam sibi esse putaret Wesselum [5]) adduxisse videtur, qui *αἰθερίας νεφέλας* coniungendum esse cum *πελειάς* et esse columbam caelivolam censet. Ut nos dicamus: vogel des himmels, sic illo loco dictam esse putat columbam nubium caelestium, h. e. quae nubes caelestes transvolet. In quo primum quidem mirum, quod Wesselus genetivum singularis numeri retinuit nec eius modi notionem multo aptius per numerum pluralem *αἰθερίαν νεφελᾶν* exprimi sensit; deinde cum proprietas celeritatis, qua columbae plerasque aves superant et cui hoc loco maxima vis recte ab ipso quoque Wesselo tribuitur, per duo adiectiva *ἀελλαῖος* et *ταχύρρωστος* abunde expressa sit, ne quid enunciato *αἰθερίας νεφέλας πελειάς* illum in modum interpretando addiderit, quod iuxta ambo antecedentia adiectiva nimis sit amplum ac languidum vereor. Wesselus autem quem ad modum reliquam eius loci difficultatem expedire conatus sit, infra videbimus.

De sola voce *νεφέλας* emendanda primus disceptavit Badhamus [6]); Ellendtius [7]) in elocutione *κύρσαιμ' αὐτῶν δ'ἀγώνων* maxime offendit, solum verbum *κύρσαιμι* pro corrupto Wexius [8]) iudicavit, duo vocabula *νεφέλας* et *κύρσαιμι* Arndtius [9]) mutavit, corruptissimam esse formam *θεωρήσασα* Wunderus, Bergkius, Meinekius, Steinhartus [10]), Nauckius [11]), Hartungius [12]), Dindorfius, Maehly [13]), Rauchensteinius [14]) consentiunt, Musgravio, Jacobsio, Passovio, Reisigio [15]) suspicionem movit *τοὐμόν*, de voce *ὄμμα* emendanda Meinekius [16]) cogitavit; totius denique versus ultimi formam plane immutavit Weckleinius [17]), ceterum hoc loco in Laurentiani codicis scripturas haud minore audacia, quam tot aliis progressus.

Cum autem tot tam diversae de duobus dumtaxat versiculis sententiae propositae sint, singulae virorum doctorum interpretationes et emendationes non prius examinari possunt, quam in universum certam de sententia totius loci opinionem assecuti sumus. Ac tanta quidem in universum inter interpretes et editores Sophoclei textus consensio de sensu, qui ex mendosa optimi libri manuscripti lectione hoc loco requiritur, quanta de singulis verbis eorundem est controversia. Nam cum nemini dubium esse possit, quin chorus illo loco vehementer optet, ut pugnam inter Thebanos comites Creontis, qui Jsmenam et Antigonam abripuerant, interque cives Athenienses instantem ipse inspectare possit, dissensio illa, quam modo significavi, in interpretandis illis verbis cernitur, quibus ardens illud chori desiderium poeta poetarum more eleganter exornavit et illustravit. Alteri enim Sophoclem verbis illis exprimere voluisse putant chori optationem, ut in columbam mutatus ad aetherias nubes sublimis tolleretur, alteri speciosam columbae imaginem rapido volatu ad altos nubium tractus tendentis comparationis causa adlatam esse opinantur.

Quae interpretum lis disceptanda est antea, quam ad reliqua progredimur. Neque est dubium, quin haec disputatio ad imminuendas desperati loci difficultates et ad poetae sententiam assequendam aliquanto plus valeat, quam quaevis vel ingeniosissima emendatio, quas plurimas ex solis litterarum ductibus scripturae a codice Laurentiano A traditae unus alterve coniecturis suis restituere studuerunt.

Atque eorum, qui veram mutationem a choro cupi existimant, quasi princeps Doederlinius cum »in tantum dumtaxat temporis mutari se velle senes, donec attigerint nubes, dein humanam formam recipere« dicit, ad suam sententiam confirmandam ex Oenomao fragmentum (423. Dind.) attulit ab Erfurdtio in margine editionis suae comparatum, cuius haec verba sunt:

γενοίμαν αἰετὸς ὑψιπέτας
ὡς ἂν ποταθείην ὑπὲρ ἀτρυγέτου γλαυκᾶς ἐπ' οἶδμα λίμνας.

At hoc ad ea verba chori, de quibus nunc disputamus, meo iudicio plane nihil valet. In illo fragmento sane quidem eum, qui loquitur, in aquilam mutari se cupere per *γενοίμαν* omnino declaratum est et vera mutatio haud dubie optatur. Simillimo modo apud Aeschylum in Supplicibus 780 chorus Danaidarum in fumum se mutari cupit, cum canit:

μέλας γενοίμαν καπνὸς νέφεσι γειτονῶν Διός.

Utroque loco verbum *γενοίμαν* veram mutationem cupi, ut modo dictum est, exprimit; huiusce modi autem verbum frustra circumspicimus illo Colonei loco, de quo nunc disserimus, et admodum dubium est, num in exprimenda vera mutatione optata ea similive forma verbali omnino carere possit sententia. Quare hoc unum sufficit meo iudicio ad refutandam Doederlini sententiam, ut plura non dicam de ipsa cogitatione tam inaudita ac mira, ut eam Sophocli tribuere meo iure sim veritus.

Quae cum ita sint, cum de vera mutatione a choro optata serio cogitari neutiquam possit, ad Reisigii sententiam accedo, qui rectissime statuit a Sophocle, cum chorum senum Actaeorum: *εἴθ' ἀελλαία ταχύρρωστος πελειὰς κτλ.* canentem faceret, comparationem esse eius generis adhibitam, in qua particula comparativa *ὡς* suppressa sit, id quod saepenumero apud poetas Graecos ac Romanos factum esse satis constat [18]). Itaque rectissime Brunckius verba illa chori ita vertit: »Utinam ceu velox columba praepeti concita volatu aetheriam in nubem sublatus« cet.

---

[2]) Erfurdt. mai. vol. VII. p. 491. — [3]) God. Hermann. ad Viger. p. 891 edit. III. — [4]) Soph. El. 19: *μέλαινά τ' ἄστρων ἐλλέλοιπεν εὐφρόνη = εὐφρόνη ἀστεροέσσα.*
ib. 758: *καί νιν πυρᾷ κέαντες εὐθὺς ἐν βραχεῖ*
χαλκῷ μέγιστον σῶμα δειλαίας σποδοῦ
φέρουσιν ἀνδρες Φωκέων τεταγμένοι κτλ. = μέγιστον σῶμα εἰς δειλαίαν σποδὸν μεταβεβλημένον.
[5]) Dr. Paul Wessel, Quaest. Sophocl. Merseburg 1870, p. 12 — [6]) C. Badham praefat. ad Platon. Euthydem. p. VI, Londin. 1865. — [7]) Ell. lex. Soph. I, p. 1002. In editione altera emendata, quam curavit Herm. Genthe, Berolini 1872. p. 402: Paulo alia sententia est *αἰθερίας νεφέλας κύρσαιμι*, assequar, i. e. tollar ad nubes. — [8]) Wex, Beitr. zur Kritik d. Oed. Colon. Schwerin 1837. idem: Spicileg. in Sophocl. Oed. Colon. Schwerin 1853. — [9]) Arndt, Progr. Neubrandenburg 1862, p. 12. — [10]) Steinhart Progr. v. Porta 1843, p. 7. — [11]) Nauck. Append. ad Schneidewininianam edit. II. p. 191. — [12]) Hartung, Soph. Werke, B. VI. p. 265. — [13]) Maehly, Beiträge zur Kritik d. Oed. Coloneus, p. 80. Basel 1868. — [14]) Rauchenstein, N. J. f. Phil. XIX, p. 181. — [15]) Erfurdt. maior vol. VII, p. 488—491. — [16]) Aug. Meineke, Adnotat. critica ad Oed. Col. p. 182. — [17]) Wecklein, Ars Sophocl. emendandi p. 78. cfr. ibid. p. 57.

[18]) Exempli causa Reisigius adfert Hom. Il. XV. 623:
αὐτὰρ ὁ λαμπόμενος πυρὶ πάντοθεν ἔνθορ' ὁμίλῳ.
Od. III, 408: — *ἕζετ' ἐπὶ ξεστοῖσι λίθοισι,*
οἳ οἱ ἔσαν προπάροιθε θυράων ὑψηλάων
λευκοὶ ἀποστίλβοντες ἀλείφατος. Ad haec addam, quae Horatius habet Ep. I, 2, 42: Qui recte vivendi prorogat horam,
Rusticus exspectat dum defluat amnis;

Ac non raras esse similes vel optationes hominum a solo terrae se extollere gestientium vel comparationes aliquo versum rapido cursu se inferentium loci ex Homero [19]), Euripide [20]), Vergilio [21]), Ovidio [22]), ex sacris denique Scriptis [23]) infra exscripti perspicue indicabunt.

Itaque quoniam comparationem cum columba in verbis chori inesse, non veram mutationem cupi adparet, ubi tertium eius comparationis lateat, deinceps diiudicandum est.

Columbas autem poetae antiqui tam Graeci quam Romani comparationum causa, ut de blanditiis taceam etiam nostratibus haud insolitis, duplici consilio tum ad miram volatus celeritatem illustrandam, tum ad expressionem timoris et anxietatis huic avium generi praeter ceteras, ut credunt, innati depingendam adhibent. Utramque rem et volandi celeritatem et anxiam columbarum naturam ut exprimerent poetae antiqui haud exiguam copiam epithetorum firmorum et perpetuorum, quae dicuntur, excogitaverunt, quae saepenumero cum columbarum nomine coniuncta habemus. Ac propter volandi celeritatem iam ab Homero [24]) columbae in comparatione commemorantur, quem Euripides [25]), ut manifestum est, in Andromacha imitatur: item in Bacchabus, ut volandi celeritatem apta comparatione illustret, easdem aves comparandi causa ille adfert. Ipse vero Sophocles totiens, ut scimus, imitator Homeri et unus praeter ceteros nomine discipuli Homeri [26]) florens, adiectiva *ταχύρρωστος* et *ἀελλαῖος* non inconsiderate sumpsisse videtur eo loco, de quo nunc agimus. Idem cum in Aiace (v. 140) adiectivum *πτηνός* »volucris« columbae adtribuit, ei adiectivo admiscuisse vi-

ib. 7, 74: — hic ubi saepe
occultum visus decurrere piscis ad hamum.
Epod. I, 34: discinctus aut perdam nepos.
ib. II, 5: neque excitatur classico miles truci.
Verg. Aen. V, 861: se sustulit ales ad auras.

19) Hom. Il. XXI, 493: *δαιρυόεσσα δ' ὕπαιθα θεὰ φύγεν, ὥστε πέλεια.* V. 778: *αἱ δὲ βάτην, τρήρωσι πελειάσιν ἴθμαθ' ὁμοῖαι.* Hym. I. 114: de Iride et Ilithyia: *βὰν δὲ ποσὶν τρήρωσι πελειάσιν ἴθμαθ' ὁμοῖαι,* quae verba haud dubie obversabantur Aristophani in Avibus 575, ubi haec sunt: *Ἶριν δέ γ' Ὅμηρος ἐφασκ' ἰκέλην βῆναι τρήρωνι πελείῃ.* Larum comparationis causa habemus Od. V, 51. *σιάσαι' ἔπαι' ἐπὶ κῦμα λάρῳ ὄρνιθι ἐοικώς — τῷ ἴκελος πολέεσσιν ὀχήσατο κύμασιν Ἐμπῆς.*

20) Eur. Phoen. 164: *ἀνωμώτος εἴθε δρόμον νεφέλας*
ποσὶν ἐξανύσαμι δι' αἰθέρος
πρὸς ἱμον ὁμογνέτορα.
Hippol. 731: *ἁλιβάτοις ὑπὸ κευθμῶσι γενοίμαν*
ἵνα με πτεροῦσαν ὄρνιν
θεὸς εἰνὶ ποταναῖς ἀγέλαις θείη.

21) Verg. Aen. V, 213—217.
Qualis spelunca subito commota columba,
Cui domus et dulces latebroso in pumice nidi,
Fertur in arva volans plausumque exterrita pennis
Dat tecto ingentem, mox aera lapsa quieto
Radit iter liquidum celeris neque commovet alas.

22) O. Met. I, 506: sic aquilam penna fugiunt trepidante columbae.
ib. V, 605: ut fugere accipitrem penna trepidante columbae,
ut solet accipiter trepidas urgere columbas.

23) Ps. 55, v. 7: Ich sprach: O hätte ich Flügel wie Tauben, dass ich flöge und etwo bliebe!
Jes. 60. 8: Wer sind die, welche fliegen wie die Wolken und wie die Tauben zu ihren Fenstern?

24) cfr. a. 18) — 25) Androm. 1140: *οἱ δ' ὅπως πελειάδες*
ἵεραι' ἰδοῦσαι πρὸς φυγὴν' ἐνώτισαν.
Bacch. 1090: *ὡς δ' ἐγνώρισαν*
σαφῆ κελευσμὸν Βακχίου Κάδμου κόραι
ἵεσαν πελείας ὠκύτητ' οὐχ ἧσσονες.

26) Sophoclis vita: *ἠθοποιεῖ δὲ καὶ ποικίλλει καὶ τοῖς ἐπινοήμασι τεχνικῶς χρῆται Ὁμηρικὴν ἐμμετρούμενος χάριν. ὅθεν εἰπεῖν Ἰωνικόν τινα μόνον Σοφοκλέα τυγχάνειν Ὁμήρου μαθητήν.*

detur eius modi cogitationem, columbam pennis egregiis et ad volandum maxime idoneis praeditam esse, ut *πτηνός* idem significet, quod *εὔπτερος* in Oedipo Rege (v. 175):

ἄλλον δ' ἐν ἄλλῳ προσίδοις, ἅπερ εὔπτερον ὄρνιν κτλ.
alium autem super alium videas, ut avem bene pinnatam etc.

Graecorum poetarum, Homeri in primis, vestigia secutus ex Romanis poetis Vergilius [27]) columbas praecipites atque aerias propter volandi celeritatem nominat, quae adiectiva quantopere Sophocleis epithetis *ταχύρρωστος* et *ἀελλαῖος* similes sint ante pedes est. Conferantur etiam ex Aeneide versus supra [28]) laudati, quibus Mnesthea Vergilius comparat cum columba.

Ex eis exemplis, quae modo adtuli, haud pauca nobis demonstrant, non solum ad illustrandam volandi celeritatem columbarum imaginem a poetis usurpari, sed eadem ad timorem et anxietatem adhiberi denotanda, qui quidem animi motus illi avium generi inprimis insitus putatur. Atque ea columbarum proprietas recte tam insignis et propemodum conspicua existimatur, ut vel in proverbii consuetudinem venerit. Quam nativam indolem ut exprimant Graeci Romanique poetae itidem epithetis quibusdam uti solent perpetuis ac constantibus, quae dicuntur, quorum notissimum est Homericum illud *τρήρων* [29]), quod ubique fere cum columbarum nomine ab Homero coniungitur. Adfinem notionem epitheta ornantia a Romanis poetis usurpata trepida [30]), imbellis [31]), pavida habent. Clarissime vero versus ille ex Aiace (140): *περῴζημαι,*

πτηνῆς ὡς ὄμμα πελείας,

ostendit, qua de causa columbas maximeque oculos earum ipse Sophocles comparaverit; qua comparatione cogitari vix potest quid elegantius et aptius nativum illum timorem denotet, qui animi motus, ut ait Lobeckius, »nictatione oculorum maxime proditur.«

Ac quoniam de timore exprimendo et dilucida comparatione illustrando cogitare ineptum videtur, manifestum est columbae imaginem a Sophocle aptissime adhiberi ad unam celeritatem volandi maximam perspicua comparatione pingendam, qua chorus, ut avolare possit, optat. Handquaquam enim verisimile videtur, columbae imagine poetam alia quaedam, v. c. oculorum aciem illustrare velle, cum eiusmodi simile plus concesso claudicaret. Etenim poeta oculorum aciem si qua comparatione

27) Verg. Aen. II, 516: Hic Hecuba et natae nequicquam altaria circum
Praecipites atra ceu tempestate columbae
Condensae et divom amplexae simulacra sedebant.
Ecl. III, 69: — namque notavi
ipse locum, aeriae quo congessere columbae.
ib. IX. 13: — carmina tantum
Nostra valent, Lycida, tela inter Martia, quantum
Chaonias dicunt aquila veniente columbas.
Hoc loco Vergilius Lucretium III. 751 imitatur, qui: tremeretque per auras
aeris accipiter fugiens veniente columba.
Aech. Suppl. V. 225 — *ἐν ἀγνῷ δ' ἑδμὸς ὡς πελειάδων*
ἕζεσθε κἰρκῶν τῶν ὁμοπτέρων φόβῳ similitudinem quandam habet cum loco Aen. supra allato. — 28) v. a. 21. — 29) Suidas, v. II, p. 1199 (Bernh.) *τρήρων. δειλήν· Ὁμήρος.* Hesych. V. IV, p. 171 (Schmidt) *τρήρων· δειλή. περιστερά· ἀπό τοῦ τρεῖν, ὅ ἐστιν φοβεῖσθαι· δειλὸν γάρ τὸ ζῷον καὶ ταχύ.* Hom. Od. XX. 243. XII, 62. Il. V, 778, XXII, 140, XXIII, 855. — 30) Ov. Met. V, 606: Ut fugere accipitrem penna trepidante columbae,
Ut solet accipiter trepidas urguere columbas.
31) Hor. C. IV, 4, 31: — neque imbellem feroces Progenerant aquilae columbam.

illustrare voluisset, haud dubie multo aptiorem et acutiorem quam columbae comparationem adferre poterat, cum ad spectaculum pugnae procul atque ex nubium altitudine conspiciendum acerrimis oculis opus sit, quales ipsi Graeci [32]) aquilis, Romani [33]) nostratesque etiam falconibus ac vulturibus aliisque rapacibus praepetibus recte solent adscribere.

Hoc unum si tenemus, columbae imaginem comparationis causa a Sophocle sumptam ad solam volandi celeritatem illustrandam inservire, ut iam ad institutam disputationem transeamus, primum quidem tota quaestio de structura verbi *κύρσαιμι*, ut mea fert opinio, dissolvatur omnisque conatus in eo emendandi supervacaneus fiat necesse est. De quo cum multi multa neque ea omnia prudenter disputaverint, unius Ellendtii [34]) sententia probanda est, qui usu eius verbi apud Sophoclem observato solum genetivum *αἰθερίας νεφέλας* inde pendere posse docet. Ex eo porro efficitur, ut et Badhami [35]) coniecturam spernamus, qui in praefatione ad Platonis Euthydemum pro *αἰθερίας νεφέλας* emendandum esse: *αἰθερίας ἐφ' ἕδρας* satis ingeniose coniecit, et Arndtii [36]) et Dindorfii [37]) rationem, qui pro *ἐφ' ἕδρας — ἀφ' ἕδρας* scribendum esse censent. Badhami autem conamen, quod Dindorfius mirifice adridere sibi profitetur, omnem loci corrupti difficultatem minime expedit neque enim duritia, qua constructio enunciati: *κύρσαιμι τῶνδ' ἀγώνων* laborat, illo conamine tollitur, et nova crux adfertur eo, quod haec construendi ratio nos tertium comparationis in sola oculorum acie collocare cogit, ut ipse Badhamus facere videtur, cum »spectanti columbae nubem, cui insideat, necessariam esse« negat. Quae vereor, ne inepte atque adeo absurde dicta videri possint; ecquis enim est, qui insidentem nubi columbam vel viderit unquam vel etiam cogitari posse credat? Atque omnino quid sibi vult sedes aetheria? Aut quid est, quod chorus optet, ut desuper ex altissima caeli regione pugnam illam inspectet? Eam enim aetheria sive sedes sive nubes significat, cum substantivum *αἰθήρ*, a quo ductum adiectivum *αἰθέριος*, »ultimus, ut Ciceronis [38]) verbis utamur, et a domi»ciliis nostris altissimus omnia cingens et coercens caeli complexus sit, extrema ora ac determinatio »mundi, in quo cum admirabilitate maxima igneae formae cursus ordinatos definiant.« Itaque fieri non posse mihi videtur, ut ad tantam altitudinem se extolli chorus recte cupiat; verum cum omnino nihil aliud optet, nisi ut et praesens sit in futurae pugnae loco, et ipse intueri possit pugnam illam, quam aut commissam esse aut mox commissum iri suspicatur, cum hoc eius desiderium statim ab initio totius cantici expressum sit verbis: *εἴην ὅθι δαίων ἀνδρῶν τάχ' ἐπιστροφαὶ τὸν χαλκοβόαν Ἄρη μίξουσιν κτλ*, in exitu strophae alterius eandem repetit cogitationem eiusmodi verbis, quae id inprimis premant, quod praecipue videbatur sibi opus esse, ut optatum illud sibi expleretur. Ea autem una erat celeritas, qua columbae instar illuc ferri posset, quo eum vehementissimum desiderium vocabat. Atque ad illam depingendam comparationem columbae celerrime ventoque citius ruentis minime inanem esse quis est, qui neget?

Quae cum ita sint, si certum exploratumque est, unice rectam esse eorum sententiam, qui antecedentem genetivum sive *αἰθερίας νεφέλας* cum Laurentiano codice, sive aliter legemus, verbo *κύρσαιμι* necessario adiungendum esse censent, quem locum pugnae inter Thebanos Atticosque chorus

[32]) Hom. Il. XVII, 675: *ὣς ἄρα φωνήσας ἀπέβη ξανθὸς Μενέλαος*
πάντοσε παπταίνων ὥστ' αἰετός, ὅν ῥά τέ φασιν
ὀξύτατον δέρκεσθαι ὑπουρανίων πετεηνῶν.

[33]) Aquilinus adspectus Appul. Met. 2, p. 115, 24 E. (Oud.) milvini oculi ib. 6. p. 384, 29. — [34]) conf. A. 7. — [35]) cfr. A. 6b. — [36]) cfr. A. 9. — [37]) Dindorf, corp. poet. scenic. Praefat. p. XI. — [38]) Cic. n. d. II, 40, 101.

significet, partim ex ipsius Sophoclis verbis, partim ex scholiastarum notis perspicimus. Ea autem regio quae sit, rectissime Wunderus nos edocet, qui Creontem comitesque, cum de duplici via ab Athenis Thebas versus ducente cogitetur, ex Colono aut meridiem versus Athenas se convertere et inde via sacra Oenoen petere potuisse ostendit, sic ut pars Aegalei montis eis dextra in parte esset Eleusina versus euntibus, aut ex Colono septemtrionem versus sive Acharnas versus refugere ita, ut circumita Septemtrionali Aegalei montis parte Oenoen versus tenderent: quo facto occidentalem partem Aegalei montis praeterire illos debuisse. Quas diversas vias vix dubium esse, quin in campo Thriasio sive inter Eleusina et Oenoen in unam coierint; quem ipsum in locum properare equites peditesque Theseum putat Wunderus voluisse dicentem (v. 900 sqq):

——— *ἔνθα δίστομοι*
μάλιστα συμβάλλουσιν ἐμπόρων ὁδοί.

Alteram regionem Sophocles in ipso illo cantico

τὸν ἑφέσπερον πέτρας νιφάδος

nominaverat, ad quae verba scholiasta: *τὸν Αἰγάλεων φησί, πέτρας δὲ νιφάδος ἂν εἴη λέγων τὴν οὕτω λεγομένην λείαν πέτραν ,ἢ τὸν Αἰγάλεων λόφον.*

Quid igitur? Nonne propior pugnae exspectatae locum Aegaleus mons est, quam aetheria nubes? Ad quam omnino non intellego, cur chorus extolli se cupiat. Quapropter in *αἰθερίας νεφέλας* scripturam fortasse latere opinor huiuscemodi:

Αἰγάλεω νιφάδων idque scholiastae auctoritate quodammodo comprobatur, quippe qui Aegalei montis nomine in interpretatione tali modo utatur, ut probabile sit, eum, cui illa explicatio originem debeat, ipsum illud nomen alicubi in textu ante oculos habuisse. de quo cum superiore loco tam copiose disseruisset, ut in perpetuum dixisse videretur, posteriore loco explicandi causa denuo verba facere nihil necesse erat.

De interpretatione et emendatione reliquorum verborum, quae in codice Laurentiano A leguntur et ipsa labe inquinata sunt, multo maior virorum doctorum est dissensio. Ac primum quidem praeter Hermannum editores Sophoclis, quod sciam, omnes ad Wunderi sententiam accesserunt, qui

pro scriptura codicis optimi	*κύρσαιμ' αὐτῶν δ' ἀγώνων* ex sua
aliorumque coniectura	*κύρσαιμι τῶν δ' ἀγώνων* restituit.
Hermanno	*κύρσαιμ' ἄνωθ' ἀγώνων* scribere visum erat.

Atque hanc quidem Hermanni emendationem, si eo nomine digna est, duplici de causa improbandam esse arbitror. Difficultas enim altera, quominus Hermanno adsentiamur, eo adfertur, quod omnis accuratior definitio sive per articulum definitum, sive per pronomen demonstrativum expressa in ea scriptura deest, qua definitione equidem vereor, ut carere sententia possit; addito autem pronomine vel articulo metri ordinem vehementer disturbari ante pedes est. Qua una difficultate totum Hermanni conamen ad irritum redigitur, ut in ipsius formae *ἄνωθε* vim ac notionem accuratius inquirere vix opus sit, quae forma pro adverbio *ἄνω* huius loci sententia postulato num tragicis dicatur alteri viri docti ambigunt [39]), alteri dici posse eam recte meo iudicio negant [40])

[39]) Dindorf. lex. Sophocl. p. 46. *ἄνωθεν*, desuper, ubi pro *ἄνω* dictum esse videatur notio rei superne demissae subest, ut El. 1058 de avibus coelitus devolantibus, Phil. 28 N. — [40]) Lex. Sophocl. Ellendt. ed. II. cur. H Genthe, p. 71: *ἄνωθεν* et *κάτωθεν* pro *ἄνω* et *κάτω* tragicis negaverim., doctum adstipulatorem nactus Schaef. App. Crit. ad Demosth. 4. p. 119.

De interpretatione et emendatione reliquorum verborum bipartitum aliquamdiu fuit virorum doctorum iudicium, cum alteri in *θεωρήσασα* offenderent, alteri in *τοὐμὸν* corruptelam indagasse sibi viderentur. Atque in hac quidem sententia fuerunt Musgravius, Jacobsius, Reisigius, Passovius; sed quae singuli pro *τοὐμὸν* coiciendo substituere voluerunt, praeter leviculam litterarum similitudinem nihil prorsus habent, quo nobis se commendare possint. Illud unum est animadvertendum, omnes eos viros doctos, quos modo nominavi, voci *ὄμμα* spectaculi sive visus notionem dare, qua notione eo vocabulo sane quidem interdum utuntur cum alii poetae Graeci, tum Sophocles, id quod testimonio complurium locorum, quibus *ὄμμα* speciem oculis extrinsecus obiectam significat[41]), comprobari videmus. Qua huius vocabuli notione probata grammatica eius enunciationis constructio facillima ad explicandum est haec: subiectum inest in verbo *κύρσαιμι*, ex quo genetivus *αἰθερίας νεφέλας* pendet, alter autem genetivus *τῶν δ' ἀγώνων* a substantivo *ὄμμα* regitur, quod locum obiecti ex *θεωρήσασα* suspensi occupat. Vertendum autem est ex Graeco in Latinum: utinam ceu columba nubem aetheriam adsequar, spectatura eorum certaminum spectaculum.

Verum haec explicatio construendique ratio primum eo ad irritum redigitur, quod pars adiectivorum, quae pro *τοὐμὸν* hi aliive emendando supponere conati sunt, minime aptum sensum praebet, quod de adiectivo *ἄπουρος*, longinquus, et *ἄκοσμος*, invenustus, immundus, petulans (Dind. Ellendt) Hermannus comprobavit, de adiectivo vero *ἕτοιμος*, paratus, ostendere plane supervacaneum existimo. Tolerabilior sensus is esset, quem adiectivum *τερπνός*, laetus, delectabilis praebet, idque aliqua ex parte commendare posset locus quidam ex Choephoris Aeschyli v. 238, ubi Electra his verbis Oresten compellat:

ὦ τερπνὸν ὄμμα, τέσσαρας μοίρας ἔχον Ἐμοί· κτλ.

Quo loco Dindorfius cum a recta optimorum librorum lectione abscedens antea *ὄνομα* edidisset, nuperrime ad meliorem codicum scripturam *ὄμμα* rediit.

Sed ut ad Sophoclem revertamur, tamen parum verisimile mihi videtur, vocem *ὄμμα* cum notione adspectus vel rerum vel actionum vel condicionum usurpari posse; de hominibus contra in adlocutionibus maxime haud ita paucis locis *ὄμμα* dicitur cum quodam caritatis adfectu, quod et ex verbis Aeschyli supra adlatis manifestum fit, et plerisque eis locis plus minusve perspicue cognosci potest, quibus Sophocles[42]) ita id vocabulum adhibuit. Nimirum eis locis, quos ex Aeschyli Choephoris et Sophoclis Aiace adtuli, pro ipso homine pars corporis humani atque ea quidem ponitur, quae praeter ceteras speciem quamvis oculis obiectam ad animi cognitionem proferre et identidem ea prodere solet, quae animos nostros in primis movent, ut bene ait Cicero: »quem ad modum animo adfecti simus, oculi loquuntur.« Atque illam propriam notionem haud dubie longe frequentissimam vocabulum *ὄμμα* ne illis quidem perpaucis locis plane exuere videtur, quos infra ex Sophocle adscripsi, quamquam in uno eorum ipse scholiasta omnino per *ὅραμα* id interpretatus est; hac igitur eo quoque loco, de quo nunc agitur, retinendam puto et rectissime ei viri docti, qui de ea re cum Reisigio ceterisque dissentiunt, alias vias ad expediendas corrupti loci difficultates ingressi sunt.

---

[41]) Dindorf. lex. Sophocl. p. 343 pauca. Multo copiosior Ellendt. lex. Soph. II. p. 313, edit. altera H. Genthe p. 527. — [42]) Ai. 977: *ὦ φίλταθ' Ἅιδα, ὦ ξύναυλον ὄμμ' ἐμοί.*
ib. 1002: *ὦ δυσθέατον ὄμμα καὶ τόλμης πυρᾶς.* El. 903: *ὡς εἶδον, ἐμπαίει τί μοι ψυχῇ σύνηθες ὄμμα*, speciem dixit animo observari solitam, quod ab adspectu significando sumptum. Ita iam explicuit scholiasta, scribens: *ὅραμα, ὃ ἀεὶ ἐφανταζόμην κατὰ ψυχήν.*

Ac primum quidem Hermannus eundem sensum, quem supra significavi et plerisque interpretibus probari video, ex lectione codicis Laurentiani *θεωρήσασα τοὐμὸν ὄμμα* repeti posse crediderat, »si adtribueres, ut ait, verbo *θεωρεῖν* causativam quodammodo significationem et accusativum obiectivum, quem dicunt, *τοὐμὸν ὄμμα* ex eo suspenderes.« Nove dixisse censebat poetam *θεωρήσασα τοὐμὸν ὄμμα τῶν δ' ἀγώνων* horum certaminum contemplatione oculos meos oblectans, i. e. quasi spectatum mittens seu pascens. Eadem propemodum ratione Blaydesius similitudinem enunciati *βαίνειν πόδα* adferens *θεωρεῖν ὄμμα* explicare conatur, cum adnotat: »the following is the probably true reading: *κύρσαιμι, τόνδ' ἀγῶνα θεωρήσουσα τοὐμὸν ὄμμα.* So. Fr. 599, *ὄχοις Ἀχεσσαίοισιν ἐμβεβὼς πόδα. Θεωρεῖν ὄμμα* as *βαίνειν πόδα.* V. Pors. ad Orest. 1427. Translate: to behold (or contemplate, or survey) with mine eye this contest.« Verumtamen de ea explicatione Blaydesius, qui adsentiretur ei, nactus est neminem. Ipse enim Hermannus, posteaquam *θεωρεῖν ὄμμα* cum notione oculum spectatum mittere non nove dictum, sed a consuetudine sermonis Graeci utique abhorrere perspexit, priorem illam explicationem retractavit et alia medicina corruptelae illi mederi studuit.

Haec altera Hermanni emendatio, quoniam ex parte Wunderiana nititur, infra commemorabitur. Wunderus enim, ut sensum, qualem huius loci sententiis maxime convenire plerique interpretes consentiunt, ex litteris Laurentiano codice traditis quantum fieri posset integre conservatis nanciscetur, pro lectione *θεωρήσασα* verbum causativae, quae dicitur, notionis substituit, unde *τοὐμὸν ὄμμα* accusativus obiectivus regeretur. Cuius modi verbum ex Hesychii glossis[43]) prius se offerebat *ἐωρεῖν*, quod notionem tollendi habet idemque quod *αἰωρεῖν* valet. Substituto huius notionis verbo editoribus Sophoclis plurimis corruptela illius loci visa est sanata esse; contra Meinekius ac Blaydesius in forma rariore *ἐωρεῖν* pro usitata in Atticorum lingua forma *αἰωρεῖν* offendunt illamque nullius fidei formam esse consentiunt. Quod praeterea Meinekius eum, qui ex alto pugnam contempletur, oculos adtollere dici posse negat, contra hanc viri doctissimi opinionem Wesselus[44]) disputavit, qui Meinekium Wunderi adnotationem non accurate legisse illudque a Wundero dictum non esse demonstravit. Quod vero Meinekius proposuit *ἐρωήσασα τοὐμὸν οἶμα* quamquam satis ingeniose inventum esse id nemo negabit et aliqua parte auctoritate codicis Vaticani commendari videatur, qui pro *ὄμμα* lectionem *αἶμα* exhibet, cuius vocis litterae paullo propius ad ductus Meinekianae coniecturae accedunt, ipsum quoque duplici difficultate laborat. Nam primum ne *ἐρωέω* quidem verbum est ab Atticis usurpatum, deinde Wesseli sententia comprobanda, qui si *ἐρωήσασα* etc. verborum collocationem spectaveris, futurum esse, ut valde ea claudicare confiteamur, praesertim cum necessario modo non postulentur ostendit. Nam si exprimere velit: utinam ex nubibus celerivola columba testis fiat certaminum, illud volatum in nubibus sistere vix exspectari recte monet, minime vero in fine totius sententiae. Itaque praeter leviculam litterarum similitudinem nihil omnino illa Meinekii coniectura habet, quo se tueatur.

Ad ea emendandi conamina, quae adhuc commemorata sunt, longus accessit aliorum ordo, quae pleraque de sensu ex corrupta codicum lectione quasi eliciendo satis inter se consentiunt, sed quodnam ex eis violentissimum sit ac laborantia Laurentiani libri verba gravissime vexet, pro certo diiudicari vix potest. Habes ea in brevi conspectu composita. Ac primum produco Nauckium,[45])

---

[43]) Hesych. vol. I. p. 251 Schm. — [44]) Wessel, Quaest. Sophocl. Progr. Merseburg. 1870, p. 12. — [45]) A Nauck. Anh. zu Schneidewin's Sophocles 4. Ausg. p. 191.

qui in editione Sophoclis Schneidewiniana iterum curata ad medicinam confugit, quam violentissimam esse ne ipse quidem negare potuit; edidit enim:

θέᾳ τέρψασα τοὐμὸν ὄμμα,

»adspectu delectatura meum oculum.«

Qua emendatione violentius etiam magisque arbitrarium est Hartungii[46]) illud

θέᾳ πλήσασα τοὐμὸν ὄμμα

adspectu impletura meum oculum« Tametsi ipsi Hartungio tam certa sua emendatio et quasi acu rem tetigisse videtur, ut non dubitaverit profiteri, quicunque tragici sermonis consuetudines melius novisset. eum non posse, quin ita scribendum esse intellegeret.

Maehly[47]), Nauckii et Hartungii, ut videtur, vestigia premens et praeterea Steinharti[48]), qui

θεωρὸν ἄσασα τοὐμὸν ὄμμα

scribi posse opinatus erat, nuper

θέας ἄσουσα τοὐμὸν ὄμμα

emendandum esse satis audacter coniecit. Idem propemodum Peters[49]) proponit, ad similitudinem Hom. Il. 20. 77 sq. (*τοῦ γάρ ῥα μάλιστά ἑ θυμὸς ἀνώγει αἵματος ἆσαι Ἄρηα* scribens

θέας ἄσασα τοὐμὸν ὄμμα.

Weckleinius[50]), quem quasi in transitu tantum commemoro, difficultates antecedentium versuum silentio praetereiens solita licentia Laurentiani scripturas tractat scribique vult

ἐναιωρούμεν' ὄμματ' ἴσχων,

oculos in aera sublatos habens.

Quam emendationem, si quidem tam arbitraria litterarum immutatio emendationis nomine digna est, propter sensum suum prorsus improbandam esse existimo. Cui Rauchensteinii[51]) illud multo melius conveniret, qui improbata Dindorfii et Wunderi emendatione *αἰωρήσασα*, cum notio tollendi in altitudinem antecedentibus verbis iam esset expressa, nuper sensu non alienum fore censuit

ἐὔφραίνουσα τοὐμὸν ὄμμα,

»gaudio adficiens meum oculum.« Hanc tamen emendandi rationem ipse quoque per diaeresin epicam maximo opere impediri recte sensit. Itaque ne eo quidem conamine ad locum illum sanandum quidquam proficit. Vix denique discrepat de sensu hoc loco accommodatissimo Arnoldi[52]) sententia, qui in recensenda Colonei editione Meinekiana primum *αἰθερίας νεφέλας κύρσαιμι* necessario coniungenda esse docet atque in lectione codicum *θεωρήσασα* participii futuri formam inesse iudicat cum sensu: adspectu oblectatura, *θέᾳ τέρψουσα*. Quod quam prope ad Nauckii propositum supra laudatum accedat, ante pedes est. Arnoldo praeterea dubitatio videtur adferri, num scriptura codicis Laurentiani *αὐτῶν* nullo pacto sit ferenda. V. 1080, ait is, chorus dicit: *μάντις εἰμ' ἐσθλῶν ἀγώνων*, vates sum faustorum certaminum; ad id cogitatum adnectens nonne tum exclamare potest: utinam certamina ipsa, quem ad modum fiunt, spectare possim! Delenda tum esset littera *δ*, ac totus locus in patrium sermonem ad verbum ita esset transferendus: »ich bin ein Prophet wackerer Kämpfe. Könnte

[46]) J. A. Hartung, Sophoc. Werke VI, p. 265. — [47]) Maehly, Beiträge zur Kritik des Oedip. Col. Basel 1868, p. 80. — [48]) Steinhart, Progr. v. Porta 1843, p. 7. — [49]) L. Peters, studia Sophoclea, Progr. Heiligenstadt 1865, p 22. 23. — [50]) Wecklein, Ars Soph. emendandi p. 78. — [51]) N. J. f. Phil. XIV. p. 181. — [52]) B. Arnold, Eos I, 1864 S. 134. 135.

ich doch, eine sturmschnelle raschfliegende Taube, die luftige Wolke erreichen, um durch den Anblick der Kämpfe selbst mein Auge zu ergötzen« eademque in Graecum ita fere convertenda essent:

εἴθ' ἀελλαία ταχύρρωστος πελειὰς
αἰθερίας νεφέλας κύρσαιμ' αὐτῶν ἀγώνων
θέᾳ τέρψουσα(?) τοὐμὸν ὄμμα.

Ex hac tanta abundantia emendationum, quas eo uno loco temptatas adhuc esse exposui, id unum cognosci potest, ut supra dixi, de sensu ex corruptis codicum manuscriptorum verbis eliciendo tantam singulorum interpretum consensionem esse, quanta de ipsis verbis coiciendo restituendis est discrepantia. Tantum autem abest, ut tam violentis medicinis usi laborantis loci labem tollant illaque via progredientes unquam ad vera ac genuina Sophoclis verba perveniant, ut longius in dies ab eis reperiendis aberrare videantur. Neque enim cuiquam dubium esse potest, quin conata illa omnia plus minusve ad libidinem ac quaedam paene insolenter capta sint ab interpretibus idque unum luce clarius demonstrent, ad quam nova docti eorum auctores produci et prope abripi se passi sint, dum modo levi quadam litterarum similitudine in sua quisque emendatione cum Laurentiani libri ductibus servata coniecturis aliquid hac vel illa ratione restituerent, quod sensum aliqua ex parte accommodatum ac tolerabilem praebere illis videretur.

Ac de sensu quidem, qualem Nauckius, Hartungius, Steinhartus, Maehly, Peters, Rauchensteinius, Arnoldus voluerant, non est, quod adsentiri his dubitemus. Quantum autem ad formam scripturae adtinet, ad rectum iam Wunderum proxime accessisse vel potius verum assecutum esse existimo, qui pro corruptissima codicum manuscriptorum lectione *θεωρήσασα* cum antea formam verbi rarissimi *ἐωρεῖν* substituisset, in quarta Sophoclis editione scripturam *αἰωρήσασα* recte in textum recepit. De forma autem participii femininali, cum chorus e viris compositus de sese loquens masculino genere uti deberet, eo brevius praecidere nunc licet, quod Nauckius ac Dindorfius id attractionis genus recte similibus exemplis illustraverunt. Doederlinium autem, qui ipse quoque feminini generis formam conservare et ab Reisigii impetu defendere studet, de vera quam statuit mutatione a choro optata erravisse supra exposui. Wunderi autem coniecturam gravissima Dindorfii auctoritas vel in primis confirmat, qui a librario *θεωρήσασα* scripturam forma rariore pro *αἰωρήσασα* decepto substitutam in codice Sophoclis ratus ad sententiam suam firmandam maximum argumentum ex eo sumit, quod similiter *αἰωροῦσα* et *θεωροῦσα* in codicibus Luciani commutata inveniantur. Praeterea exempli causa Sophoclis Oedipum Regem v. 1264 ille comparat, ubi consimilis formarum ex verbis *αἰωρεῖν* et *ἐωρεῖν* ductarum confusio librariorum culpa in codicibus manuscriptis videtur facta esse.

Ac quoniam me Wundero de forma verbali *αἰωρήσασα* pro scriptura codicis Laurentiani *θεωρήσασα* emendando egregie substituta adsentiri demonstravi, nunc de grammatica structura maximeque de sensu enunciati

τῶνδ' ἀγώνων
αἰωρήσασα τοὐμὸν ὄμμα accuratius disputandum est. De

quo ut explanem, quam sententiam sequendam mihi existimem, primum animadvertendum est, id quod supra iam ostendi, bipartitum virorum doctorum de structura totius enunciati *εἴθ' ἀελλαία - τοὐμὸν ὄμμα* iudicium esse. cum alteri verbo *κύρσαιμι* genetivum *αἰθερίας νεφέλας* adiungant, alteri solum genetivum *τῶνδ' ἀγώνων* verbo *κύρσαιμι* addi velint, meque ut priorem construendi rationem rectam esse decernerem columbae imagine a Sophocle adhibita vel inprimis commotum esse item pluribus exposui. Wunderus autem, qui ex verbo *κύρσαιμι* genetivum *τῶν δ' ἀγώνων* suspensum esse censet,

cum per se is, qui spectator tantum pugnae esset, non *κύρειν τῶν ἀγώνων* dici potuerit, tamen hanc ipsam sententiam ait expressam esse verbis *κύρσαιμι τῶν δ' ἀγώνων, αἰωρήσασα τοὐμὸν ὄμμα* idemque hoc esse, quod: *Κύρσαιμι τῶν δ' ἀγώνων τῷ ἐμῷ ὄμματι, αἰωρήσασα αὐτό.* Quae verba ille in Latinum convertit vel, ut verius dicam, interpretatur: »Utinam has pugnas assequar oculis meis sublime latis.« Ac sponte apparere putat, quod oculum sublime ferre poeta dixerit, id perquam poetice dictum esse pro sublime ferri, ut oculis aliquid percipiatur. Contra ea rectissime Wesselus [53]) monet, oculos sublime ferre minime esse sublime ferri, sed valde obscurum esse. Nec ipsi Wundero omnem dubitationem de ea interpretandi ratione sublatam esse crediderim; namque his ita expositis quod pergit: »possis igitur *αἰωρ. τοὐμὸν ὄμμα* etiam sic explicare: *τῷ ἐμῷ ὄμματι, αἰωρήσας ἐμέ,*« manifeste dubitatio quaedam cernitur, qua de huius enunciati interpretatione ipse tenetur, impeditque ea ambiguitas, quominus illi adsentiar. Ut enim vel lectio codicis *αἰθερίας νεφέλας* sit genuina Sophoclis scriptura, vel eam coniecturae *ἐφ' ἕδρας* vel *ἀφ' ἕδρας* adsecutae sint, chorum pugnam ex alto contemplari velle per ea ipsa verba perspicue expressum est, inxtaque ea maximopere languet sine dubio et supervacaneum aliquid, quod sua sponte adpareat, addit iteratio: oculum meum extollens (supra pugnam) Neque veram mutationem in columbam, sed comparationem statuendam esse concedo, Wunderum autem de vera mutatione cogitare ex verbis eius: utinam columba celerivola s i m, haud ambigue intellegimus.

Alia ratione Wesselus enunciatum *κύρσαιμι τῶν δ' ἀγώνων*
αἰωρήσασα τοὐμὸν ὄμμα
explicari vult, ac quamquam ne ad eius quidem sententiam accesserim, tamen digna est ea, quam in transitu quidem respiciamus. Wesselus genetivo *αἰθερίας νεφέλας*, ut supra iam commemoravi, substantivo *πελειάς* addito dictam esse columbam nubium caelestium, h. e. quae nubes caelestes transvolaret opinatus participium *ἐωρήσασα* cum genetivo *τῶν δ' ἀγώνων* coniungit atque ut *ἐώρημα* plane idem ac suspendium sit, ita *ἐωρεῖν ὄμμα τῶν δ' ἀγώνων* explicat: suspendere oculos his certaminibus, h. e. attento animo certamina contemplari. Totam sententiam igitur sic ille reddendam putat: »utinam ceu velox celerivola columba nubium caelestium his certaminibus suspenderem oculos meos.« *Κυρεῖν* participio iunctum pro *τυχεῖν* poni, adnotavisse Hermannum in priore editione beneque v. 1159 respicere: *Ποσειδῶνος, παῤ ᾧ θύων ἔκυρον.*

Hanc Wesseli interpretationem ut improbandam esse paucis demonstrem, primum quidem similia verborum sive *ἐωρεῖν* sive *αἰωρεῖν* genetivo ita, ut ille vult, additorum exempla nusquam commonstrari posse monuerim; nec etiam per usum ac notionem utriusque talem interpretandi rationem admitti accurata exemplorum in Stephani Thesauro [54]) congestorum examinatio docebit, ex quo activas verbi *αἰωρεῖν* formas omnibus locis proprie, translate passivas medialesque usurpari intellegimus.

Quae cum ita sint, aliane ratione totum enunciatum
αἰωρήσασα τοὐμὸν ὄμμα
intellegi possit, iam videamus. Quae verba quoniam proprie dicta nihil significare possunt, nisi »extollens meum oculum,« recte eis viris doctis supervacaneum aliquid, quod sua sponte adpareat, videntur addere, qui Wunderi aliorumque auctoritate in antecedenti enunciatione *κύρσαιμι* cum genetivo *τῶν δ' ἀγώνων* coniungunt, sive scripturam *αἰθερίας νεφέλας* sive emendationem eius probant. Omnium autem interpretum de illo loco in unum congruunt sententiae, minime eius modi cogitationem parum

[53]) cfr. ann. [44]). — [54]) Steph. Thesaur. ling. Graecae Cur. Gu. et L. Dindorfii vol. I, p. 1129. 1130.

definitam requiri, sed laetam quandam concitationem, qualem in animo suo spectaculo *ἐσθλῶν ἀγώνων* commotum iri opinetur, a choro cum in tota cantici stropha *β*, tum quattuor postremis eius versibus exprimi ad unum omnes consentiunt. Itaque illorum interpretum, quos supra nominavi, eo redierunt conata omnia, ut pro scriptura codicis Laurentiani *θεωρήσασα* lectionem emendando substituerent, quae laetam chori concitationem ac delectationem ex proelii exspectati adspectu conceptam concipiendamve diserte ac plane declararet. Sed haud scio an ex verbis *αἰωρήσασα τοὐμὸν ὄμμα* assequi possimus vel eius modi sensum vel certe non valde ab eo discrepantem, quem illi emendationibus suis plus minusve proprio cuiusque arbitrio obnoxiis restituere voluerunt et Wunderus ac Dindorfius, quibus emendationem *αἰωρήσασα* acceptam referimus, huic enunciato adtribuendam esse minime putaverunt. Atque hoc primum quidem animadvertendum est, verbum *αἰωρέω* [55]) propriam habere tollendi notionem, sicut cognominatas formas *ἀείρω* et *ἄῤρω*. Quae verba cum proprie usurpata apud Sophoclem aliosque saepenumero exstent, unum tantum locum commemoraverim ex Trachiniarum [56]) tragoedia, ubi cum voce *ὀφθαλμός* cognominata vocabulo *ὄμμα* coniunctum legitur *ἄραs*; ibi Hyllus de Hercule patre, posteaquam fumus circumiectus et circumsita involvens in altum sublatus erat, filium obtuente haec ait:

τότ' ἐκ προσέδρου λιγνύος διάστροφον
ὀφθαλμὸν ἄραs εἶδέ μ' ἐν πολλῷ στρατῷ
δακρυρροοῦντα κτλ.

hoc est: dissolutum vel potius natantem oculum tollens conspexit me in agmine copioso.« In hac enunciatione quam legimus locutionem *ὀφθαλμὸν ἄραs* exempli causa comparaverim cum simillima, quae est apud Lucam evangelistam (16, 23): *καὶ ἐν τῷ ᾅδῃ ἐπάραs τοὺs ὀφθαλμούs αὐτοῦ κτλ.*, deinde ex Latinis adferri potest Ovidii illud Met. XIII, 125: o c u l o s paullum tellure moratos
S u s t u l i t a d proceres.

In his exemplis [57]) nemini dubium esse potest, quin enunciata *ἄραs ὀφθαλμόν, ἐπάραs τοὺs ὀφθαλμούs*, oculos sustulit proprie de oculis antea demissis, tum sublatis ad rem quampiam in altiore loco contemplandam intellegenda sint. Hoc in chorum optantem, ut ipse in altum sublatus proelium inter Thesidas et Thebanos Creontis comites adspicere possit, transferri non posse cum alii quidam contendunt, tum Meinekius, cum eum, qui ex alto proelium contempletur, oculum extollere dici posse negat. Sed illos in verbo *αἰωρεῖν* notionem s u r s u m tollendi plus necessario premere manifestum est.

